Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1787
Quelle:
Copyright:

Ob ſich aquarius enthabe
Aller fruntſcefte ganc dů abe
Wanne ſwen dů dir danne kůſes.
Uil ſcire du in ferluſes.

Ita *Februarius* et ceteri ſuo ordine in ſcenam prodeunt, et omnes *teutonice* de Amicorum delectu perorant, demto *Decembri*, qui in Diaeteticis ſiſtit, culpa fortaſſe Librarii. Curioſa ſunt haec, lucemque mererentur, qua tamen, fieri poteſt, ut me inſcio jam gaudeant.

VII. *fol.* 47. praemiſſo brevi Monito de Tempore celebrandi *Adventus* dominici ſequuntur. 1) Prognoſtica medica de fauſtis et infauſtis Diebus, Deſcriptio Venarum, Signa Mortis in Aegrotante, etiam juxta dies criticos. 2) Prognoſtica ſecundum XXX. *Lunas* praecipue genethliaca. 3) Prognoſtica de *Aegro* morituro vel convaliturO. Ut noris, cujus genii, en poſtremum: *Eger ut ſcias ſi uiuere poſſit. dices ei hæc verba in faciem. ſi tibi clarius locutus fuerit uiuet. Si autem turbatus fuerit morietur. Si uero tacuerit. diu langueſcet. Ymineros. eſon. ſalues. olodo. naricas. larcie. nota faſſis. autu cadaem. ſofonium aperies enum pſeo.* 4) Prognoſtica de *Kalendis* ſecundum dies Hebdomadis, in quos inciderint. 5) Prognoſtica ex *Tonitribus* ſecundum ſigna Zodiaci, menſes, regiones Coeli, et horas Diei. Futilia pleraque.

VIII. *fol.* 57. p. 2. ſuccedit Ονειροκριτικον ſive Somniorum Dijudicatio ita inſcripta: *Ego ſum daniel propheta. unus de filiis iſrael. qui captiuitate ducti ſunt de ciuitate ſancta ieruſalem. Hec omnia a deo facta ſunt. nichil per me ipſum addidi. uel ſuſtuli. et a domino ita accepi. Quicunque legerit danielem. ita intelligat de hac litteratura.* Alphabetico ordine procedit impudens veterator hoc modo: *Arbores aſcendere bonum nuncium ſignificat. Arborem ſedere nuncium fidelem ſ. Arbores cum fructibus uidere lucrum ſ.* atque ita usque ad *Zonam* et *Zizaniam* fabulatur. In Exemplo, de quo *Labbeus* in *Bibl. nova Mſs.* p. 122. ad Regem *Nabuchodonoſorem* directum eſt Scriptum iſtud, quod in Palatina noſtra etiam arabice extat, ut jam indicavit *Lambecius* T. I. *Addit.* V. p. 171. edit. *Kollar. col.* 303. et 412.

IX. *fol.* 63. Narratio, cujus initium: *Juuenis homo Epicticus nomine commendauit ſe ad utilem hominem. Utilis homo commendauit illum comiti. Comes commendauit illum epiſcopo. Epiſcopus commendauit eum regi. Rex commendauit illum imperatori. imperator miſit illum adducere qui inſuper multos milites prudentes orientales. et cum veniſſet in illam ciuitatem nonnulli eum deſpectum habebant. Tunc dixerunt quidam ad eum. Juuenis unde es? aut qua prouintia uenis? At ille dixit. Ex patre et matre permiſſu dei in*

hunc